



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egrae, 1689

Problema LIII. Majorémne Deus homini præstet gratiam concedendo, quo petitur, an negando. Dominica V. Post Pascha. Amen, Amen dico vobis: siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. 16. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA LIII.

Majorémne DEus homini præstet gratiam
concedendo, quod petitur, an
negando.

DOMINICA V. POST PASCHA.

*Amen, Amen dico vobis : siquid petieritis
Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Joan. I6. v. 23.

§. 1.
Non sem-
per exau-
dit Deus.

Tot tamque manifestæ sunt promissiones Veritatis æternæ orantibus factæ, quod certò exaudiendi omniaque impetraturi sint, ut pro miraculo haberi possit, si quis non exaudiatur sequè petitâ gratiâ donatum non esse meminere. Non meminit Seraphica Theresia, non Gertrudis, non sexcentæ aliæ devotæ animulæ spebus se suis frustratas unquam fuisse. At meminere plures alii se petiisse sanitatem & non impetrâsse, divitias, felicitatem, recuperationem rerum perditarum, fœcunditatem in conjugio, successum in negotio, & mille alias gratias, nec unam ex omnibus obtinuisse. quomodo ergo certa est Christi promissio? quomodo vera Patrum assertio, qui omnipotentiam quandam adstruunt orationi, quæ scilicet tenet omnipotentem, fleat invincibilem, ligat immensum? num fortè major nobis à benigno Numinе præstatur gratia, cùm votis nostris abnuit, quām cùm annuit?

hanc scitu dignissimam quæstionem præsenti discutiamus dictione.

Paradoxa videri hæc potest quæstio: *utrum major sit gratia, si gratia negetur, quam si concedatur,* quomodo enim gratia si gratia non fit? quomodo imaginabor meam DEo placuisse orationem, si surdâ pertransit aure? quomodo credam me DEo cordi & curæ esse, si id quod toties & tanto cum fervore desideravi, obtinere tamen non merui? quomodo sperabo me audiendum in summis, si non exaudiar in minimis? qui præstolabornum aureum, si nummulus æreus denegetur? at verò si exaudiar, inferam preces meas DEo placuisse, nec me displicere putabo. Jussit discipulos Christus petere indeterminate quidquid liberet, & assūravit eos, quod accepturi essent, causam porro addidit: *ut gaudi- um vestrum sit plenum, nimirum plenum gaudium est accipere quod petitur, plena tristitia non assequi quod desideratur.* & unde plenum

§. 2.
Congru-
entia pro
sententia
negativa.

gau-

gaudium nisi à gratia, unde moeror nisi à disgratia? plenum gaudium Davidis, cùm in persecutione Saulis, speluncam Engaddi intrans (prout 1. Reg. 24. legere est) vidi araneam indefesso labore telam texere & speluncæ os contegere, nè suspicio suboriri Sauli posset Davidem intrò latere; quare in gratiarum actionem Psalmum quinquagesimum sextum composuit cecinitque: *Miserere mei DEUS miserere mei quoniam in te confidit anima mea* (en ut fiduciam augeat concessa gratia) *Ego in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas*. transit Saul nec latitatem deprehendit, quare in laudes DEI plenus gaudio David effusus exclamavit: *clamabo ad DEUM altissimum, DEUM qui benefecit mibi*. quæ verba ita elucidat Paraphrastes Chaldæus: orabo coram Deo altissimo & forti qui accersivit araneam, ut perficeret in ore speluncæ telam propter me: econtra plena tristitia fuerit Sedeciae 4. Reg. ult. cùm in planicie Jericho captus à Chaldæis & exoculatus est. Plenum gaudium Ezechiae cùm à morbo liberatus, plena tristitia Antiocho, cùm post vota plurima concepta non exauditus sed morti victimatus est 1. Machab. 6. v. 16. Magnum gaudium Jonæ à fluctibus marii erepto, magna tristitia Pharaoni in profundo rubri marii submerso. Inclamaverit non dubito Pharao Moysen, sicut in aliis pœnis solebat, ut eliberaretur à proximo vitæ discriminé sed frustra; dupli proinde illi nomine amara mors, quod in mari periret & totus periret. Quid quod multi post irritas preces in profundum desperationis lapsi ultro sese inferno addixere, non addicturi, si exaudiiti fuissent, quid putamus Chrysaorium cogitasse cùm inducias non impetraret? quid Virgines fatuas cùm post cla-

mores & pulsus repellerentur? quid Antiochum, cùm vota pro sanitate generosè facta proficerent nihil? non ergo major gratia vocari potest, cùm negat DEUS quod petitur quām cùm gratiōsè indulget.

Verū priusquam ad difficultatem hanc respondeam, ad tergeminum raræ amplitudinis theatrum spectatores esse cupio, quotquot orationis meæ esse dignati sunt auditores. In supremo theatro videre

S. 3.
Citius quandoque dæmon, quām justæ exaudiuntur.

*Ier. 7. v. 16.
& c. 11. v.
14. & c. 14.
v. 11.*

est Samuelem pro Saule frustra orantem & Jeremiam, quem pro populo orare vetat DEUS, tertioque inhibitionem repetit suam: *tu ergo noli orare pro populo hoc ego non obſiſtas mibi, quia non exaudiam te*, è regione verò spiritus infernalis vix bene insinuat, ut evertendo Regi Achabo Spiritus mendax esse possit in ore omnium prophetarum, & mox assequitur quod optat: *egredere et fac ita* 3. Reg. 22. v. 22. in mediotheatro ter orat Paulus ut à colaphizante Angelo Sathanæ libetur, nec quidquam impetrat; inde orat dæmon, ut non colaphizare tantum sed toto exulcerare corpore Jobum possit, & liberaliter obtinet, quod desiderat. in infimo theatro jacet triduanâ exhaustus inediâ in cinere & lacrymis David, ut parvulo ex Bethsabea nato vitam impetrat, nec tamen impetrat; illinc in deserto carnes appetit populus: *quis dabit nobis ad-veſcendum carnes?* & ingenti mox numero coturnices obtinet; cur tam facile auditur in deserto populus, non exauditur desolatissimus David? cur Paulus ab Angelo Sathanæ non liberatur, Sathanas voti sui compos evadit? cur Spiritus mendax per pseudoprophetarum ora ad decipiendum Achab hallucinari permittitur, orare pro populo Jeremias prohibetur? respondeat Magnus Augustinus & auream illam suam repeatat senten-

*2. Reg. 12.
v. 16. Nu-
mer. IX.
v. 4.*

ss 3

tiam,

tiam, quam in Psalmi 12. expositio-
ne consignavit: *non est exauditus*
Paulus; ad damnationem exauditus
est diabolus. petuit Job ad tentandum &
concessum est, dæmones petierunt ire in
porcos, & exaudiiti sunt; dæmones
*exaudiuntur, Apostolus non exaudi-
tur, illi exaudiuntur ad damnationem,*
Apostolus non exauditur ad salutem.
idem de Davide dicendum est; non
exauditur David pro parvulo, ut hu-
jus morte illius peccatum sepelire-
tur, inquit Theodoretus & inno-
centis funere vulnus nocentis con-
fanesceret; exauditur verò rebellis in
deserto populus, ut beneficium in
supplicium vertetur, & ira DEI seu i-
gnis infernal is super eos ascenderet,
cùm adhuc escæ in ore essent, ni-
mirum satis assæ carnes nondum
erant, ideoque hoc igne qui unà vo-
ratores devoraret, opus habebant.
fastidiebant quod habebant inquit de
refractario populo Augustinus, &
*quod non habebant, impudenter pete-
bunt. dedit itaque illis DEUS iratus,*
*quod non dedisset propitiis. ex quo i-
dem infert: male usurpus eo quod*
vult accipere, DEO potius miserante
non accipit. Petiverunt hodiéque
Turcæ viðoriam contra Christianos, Christiani viðoriam contra
Turcas, illi impetrârunt non isti, petiverunt acatholici felicitatem tem-
poralem & pacem eámque præ ca-
tholicis obtinuerunt; petiverunt im-
probicatholici votorum & desideriorum suorum successum, nec
difficulter præ probis assequuti
sunt; num ergo Turcæ, hæretici,
reprobi acceptiores DEO quām vir-
tutum affeclæ? respondet D. Gre-
gorius: *majoris iracundia est, cum*
hoc tribuit quod male desideratur, at-
que inde repentina ultiō sequitur; nam
quanto citius malum votum impleri
permittitur, tanto celerius punitur.
non ergo beneficium sed supplici-

um, non gratia sed odium, non amor
sed furor DEI est, cupitis mox grati-
is potiri.

Lucæ II. à v. 5. parabolam nar-
rat Veritas de importuno amico, qui
mediâ nocte tres panes commodari
sibi petuit, quos tandem postitera-
tas preces obtinuit, non amicitiae ti-
tulo sed importunitatis motivo:
dico vobis eti non dabit illi surgens,
eò quod amicus ejus sit, *propter im-
probitatem tamen ejus surget & da-
bit illi quotquot habet necessarios*
v. 8. non ex amore benevolentiae
sed odio importunitatis concedun-
tur panes, nec augetur inde gratia
sed amor pristinus in recens odium
commutatur. De nocte panes ex-
igimus cum sinistro quopiam affe-
ctu impliciti multiplicari nobis for-
tunas, talenta, favores, & quaslibet
humanæ vitæ jucunditates impro-
bè postulamus, quas si improbitati
nostræ condescendens DEUS per-
mittat & quidquid stultitiae nostræ
arridet indulget, non equidem hoc
lenitatis & misericordiae sed indig-
nationis & justitiae est argumentum.

§. 4.
Propter
improbi-
tatem fe-
ce nostræ
exaudire

Salomonem exquisitissimis preci-
bus orabat Mater, ut Adoniæ ado-
lescentulam Abisag in sponsam du-
cere liceret, nec tamen post tot be-
nevolentiae signa à Salomone prius
exhibita quidquam impetrat, sed
cum indignatione repellitur: *postu-
la ei & regnum, est enim frater meus*
3. Reg. 2. v. 22. *jura vit itaque Rex*
*Salomon quia bodie occidetur Adoni-
as.* At idem Salomon Reginis suis
fana innumera ad illecebrosas pre-
ces indulget: *atque in bunc modum*
*fecit universis uxoribus suis alieni-
genis* 3. Reg. II. v. 8. Non fuit hoc
beneficium sed supplicium, non
clementia sed crudelis quædam in-
dulgentia in æternam animarum

per-

S. Augu-
stin. tr. 73.
in Joan.

S. Gregor.
I. 18. mo-
ral. c. 12.

perniciem idolomanicis mulieribus permissa. O quām sēpe divinum putamus beneficium, & est grande irati Numinis supplicium.

§. 5. De iis qui cūm cognovissent D E U M , non sicut D E U M glorificaverunt , scribit Apostolus Rom. I. v. 21. tradidit illis D E U S in desideria cordis eorum. indulxit eis prosperitatem , consolationem , superfluitatem , sed hoc in gravorem ruinam . nam qui suae voluntati permittitur , à D E o pro deposito habetur. ubi propria voluntas dominatur , ibi salus esse non potest sed perditio inquit Rufinus in c. 8. Marc. iis quorum desperata est salus , quidquid lubet concedi solet. S. Gregorius 21. Moral. 4. Murmurārunt ingrati Judæi contra D E u m : nūn quid poterit D E u s parare mensam in deserto ? Ps. 77. v. 19. iratus exinde Dominus punivit hoc peccatum in auditio beneficio : ira D E i ascendit in Israēl v. 21. mandavit nubibus de super Et januas cœli aperuit v. 23. ad quid portas aperit , an ut grandiora fulmina devolvat , an ut novum cataclismum inducat ? nihil horum , pluit illis manna ad manducandum . non favor at furor est , quem ex eventu collige v. 30. adhuc esce eorum erant in ore ipsorum Et furor D E i ascendit super eos . Nota : ascendit , descendit favor , ascendit furor , non satis fuit D E O prosternere ingratos , sed more graviter iratorum calcavit & ascendit capita conculcatorum . O dives Epulo , tui ego hic memini , cūm cibum cœlestem induxi , infelicitas hæc tua fuit vestiri purpurā , epulari splendide , quotidie saginari . Saginamus & nos deputata victimis animalia ; tua purpura mutabitur in flamas , fercula in carbones , vina in fel aspidum . Ecce tota causa cruciatuum inquit mellifluus , quia

recepisti bona in vita tua . Contra Judam Cyprianus Serm. de cœna Domini : melius erat molâ asinariâ collo alligatâ mergi in pelagus , quām illotâ conscientiâ de manu Domini buccellam accipere . Nimirum quidquid recipitur per modum recipientis recipitur . quidquid diligenti D E u m accedit honor aut ignominia , abundantia aut penuria , consolatio vel mœror , in bonum cooperatur : quidquid injusto accedit , in malum cedit . Ad omnē fortuitum bonum suspenſi Et parvi subsistite , quia beneficium insidiae fortune sunt . Senec. ep. 4. ad Lucil. Non ergo semper favor & beneficium sed furor Numinis & supplicium est , cūm facile assequimur quod cupimus ac postulamus .

Major gratia fit pauperi si petenti obolum , obolus negetur & aureus donetur post longiusculas preces , quām si ætatum obolus roganti erogetur . Major gratia facta fuit Perillo , cūm petenti decem talenta donaret Alexander Macedo quinquaginta , quām si primò ejus precibus acquievisset . Magnifica tum insonuit Alexandri vox à Plutarcho in apophth. commendata : tibi quidem satis est accipere , mibi autem satis non est , dare . Rex noster magnificentissimus & augustissimus est , inquit Basilius c. 2. constit . Monast. & indignè fert quandocunque quis exiguum aliquid à se petit . Major gratia fit ægroto si Medicus neget noxia , quām si consentiat ; Major gratia phrænetico , si vinculis non exolvatur , quām si liberè , quod lubet agere , permittatur ; major gratia infanti , si mater subtrahat cultrum & substituat pomum , quām si lacrimis infantilibus mota præstet infanti quidquid desiderat . Similiter dubitandum non est , majorem à D E o

§. 6.
Similitudines.

à DEO gratiam nobis fieri, cùm petitia negat, quām cùm donat. Stemsus judicio trium sanctissimorum Oratorum, Augustini, Bernardi, Isidori: *bonus Dominus, qui non tribuit sāpe quod volumus, ut quod malemus attribuat* S. Augustinus epist. 34. ad Paulinum. *Misericordiae res est hac in parte subtrahere DEum misericordiam, quemadmodum irae & indignationis misericordiam exhibere.* S. Bernardus Ser. contra ingratitud. *Multos DEUS non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem* S. Isidorus l. 3. de summo Bono c. 7.

§. 7.
Elogia O-
rationis.

Denique ut audacter pronuntiem majoris divinæ benevolentiae opus esse, si preces nostræ quandoque non audiantur, quām si pro voluntate exaudirentur, faciunt ingentia illa elogia, quæ orationi à Patribus & scripturarum Interpretibus data esse reperio.

Lucæ 6. v. 12. Christus erat pernoctans in oratione DEi. hæret S. Chrysologus & inquirit causam pernoctationis & ait: *ipse Dominus pernoctat in oratione DEi, ut antè nos oratione liberet, quām redimeret passione.* tam potens est oratio Domini JESU, ut non minoris sit efficacia quām totius sanguinis profusio; & nos si orationem DEi maximè pernoctantes offerimus, aliquid passioni dominicæ assymbolum offerre videmur. Ratio est, quia divina oratio est quidam partus Spiritus Sancti, ideo enim non in oculi, cordis, digitorumve figura sed linguae igneæ figura illapsus est, ut orationis se exhiberet Magistrum, qui teste Apostolo Rom. 8. v. 26. postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Sed quomodo orare potest Spiritus Sanctus, cùm oratio definitur à S. Thoma p. 2. est actus religionis, quo quis inferior deprecatur superiore. Christus quidem orare propriè potuit, quia secundum humitatem minor Patre fuit, at verò Spiritus Sanctus, æqualis per omnia Patri quomodo postulat? ingeniosæ huic quæstioni breviter respondeo, consideranda esse duo corpora Christi alterum est naturale, quod de Virgine sumvit, alterum mysticum, quod est Ecclesia. nos omnes hujus corporis membra constitui-mus, Caput verò Christus est. querit Bernardus, utrum illi corpus carius? & resolvit pro mystico l. de triplici concordia: Si corpus mysticum non prætulisset corpori naturali, corpus naturale non obtulisset in cruce pro corpore mystico. nobilitas autem major corporis mystici præ naturali desumitur ex anima, naturale corpus habuit animam productam ex nihilo sicut nostra est, at verò corporis mystici anima est Spiritus Sanctus. qui ideo dicitur Dominus & vivificans in Symbolo Nycæno, quia anima hujus corporis est. animæ enim proprium est vivificare, (unde actiones vitales sunt ab anima juxta Philosophum) omnes ac singulæ operationes Ecclesiae sunt à Spiritu Sancto, sine quo nec nomen IESU pronuntiare, nec boni quidquam cogitare atque spirare valemus. oratio omnis à Spiritu Sancto est, si bona, si vitalis, si oratio DEi est. At quæret curiosior aliis, cùm opera omnia Trinitatis ad extra indivisa sint, cur oratio attribuitur Spiritui Sancto? Pater generat Verbum, & totum se unis sic impedit, ut alterum generare non possit, ex Verbo ac Patre procedit Spiritus Sanctus, qui est adæquatus terminus voluntatis seu amoris divini. Sed quid Spiritus Sanctus? nihilne ager? infinitum bonum est, nunquid non communicabit se? nunquid ego qui alias parere facio, sterilis ero? habet & Spiritus Sanctus partum suum, nimirum orationem, quæ cum sine lingua non per-

manitatem minor Patre fuit, at verò Spiritus Sanctus, æqualis per omnia Patri quomodo postulat? ingeniosæ huic quæstioni breviter respondeo, consideranda esse duo corpora Christi alterum est naturale, quod de Virgine sumvit, alterum mysticum, quod est Ecclesia. nos omnes hujus corporis membra constitui-mus, Caput verò Christus est. querit Bernardus, utrum illi corpus carius? & resolvit pro mystico l. de triplici concordia: Si corpus mysticum non prætulisset corpori naturali, corpus naturale non obtulisset in cruce pro corpore mystico. nobilitas autem major corporis mystici præ naturali desumitur ex anima, naturale corpus habuit animam productam ex nihilo sicut nostra est, at verò corporis mystici anima est Spiritus Sanctus. qui ideo dicitur Dominus & vivificans in Symbolo Nycæno, quia anima hujus corporis est. animæ enim proprium est vivificare, (unde actiones vitales sunt ab anima juxta Philosophum) omnes ac singulæ operationes Ecclesiae sunt à Spiritu Sancto, sine quo nec nomen IESU pronuntiare, nec boni quidquam cogitare atque spirare valemus. oratio omnis à Spiritu Sancto est, si bona, si vitalis, si oratio DEi est. At quæret curiosior aliis, cùm opera omnia Trinitatis ad extra indivisa sint, cur oratio attribuitur Spiritui Sancto? Pater generat Verbum, & totum se unis sic impedit, ut alterum generare non possit, ex Verbo ac Patre procedit Spiritus Sanctus, qui est adæquatus terminus voluntatis seu amoris divini. Sed quid Spiritus Sanctus? nihilne ager? infinitum bonum est, nunquid non communicabit se? nunquid ego qui alias parere facio, sterilis ero? habet & Spiritus Sanctus partum suum, nimirum orationem, quæ cum sine lingua non per-

S. Cypria-
nus apud
Bonherba-
fer. 5. Do-
minic. I.
Quadra-
ges. num. 9

perficiatur, lingvæ figuram detulit, hic conceptus S. Cypriani est lingvæ figuram prætulit, ut sanctæ Ecclesiæ formaretur oratio, quam dilexit ut filiam. Tam cara & propria est Spiritui Sancto oratio, ut inde nominari velit Zach. 1. v. 10. effundam super domum David & super Jerusalem Spiritum gratiæ & precum, non appellatur Spiritus mortificationis, eleemosynæ, compassionis, sed Spiritus precum, ceteræ enim omnes virtutes in oratione includuntur. Quare si in te gratia precum est, erit & gratia spiritus si verò Spiritus in te & proteorat, quid non impetrabit!

Nè dicas, orare non juvat, quia peccator sum, peccatores Deus non audit Joan. 9. v. 31. quis hoc oro dixit? cæcus dixit, & verum dixit, si, qui orat, peccator permaneat, tunc enim Deus non audit ad salutem æternam, licet audiat ad felicitatem temporaneam. dæmones ipsi (verba sunt S. Antiochi to. 2. biblioth. PP. hom. 27.) nè in abyssum præcipitarentur, cum Dominum obsecrârunt, suâ petitione fraudati non sunt. At verò qui se peccatores esse agnoscunt & orant, peccatores non sunt. Si peccatores DEUS non exaudiret, frustra Publicanus dixisset: propitius esto mihi peccatori, S. Augustinus in Lucæ 18. quia autem hoc publicanus dixit, justificatus in domum suam descendit.

Nec tantum justificatur homo per orationem sed ex mortali fit immortalis, ex fragili fœdóque homine pulcer Angelus. Primum Chrysostomus dixit, alterum Chrysologus affirmavit. ille l. 1. de ador. DEO: per orationis exercitium hoc assequimur, ut mortales & temporanei, esse desinamus, hic Ser. 43. per ora-

tionem Joannes fit Angelus in carne, cœlestis in terra, & totam totus capit tenet & possidet Trinitatem. per orationem Moyses fit Deus & ad triumphos militares sibi omnia mandat elementa devinci. Idem in elementa dominium vi orationis obtinuere alii, Josue in Jordanem, Jonas in cœlum, ut sicut in fabulis, Arionis cithara manufactus est Delphinus, ita extra fabulam mansuetus cetus & fluctus feri maris. Putat S. Augustinus l. 2. de mirabilib. S. Scripturæ c. 7. Jonam fuisse filium Sarpanæ illius viduæ, quem oratione suscitavit Elias. doctus itaque à Matre filius minus se debere materno utero quam orationi, cuius esset filius, spem demuo in oratione collocavit omnem, sic secum ratiocinatus: potuit me Eliae oratio liberare à morte, qui cetus est cotorum, quæd magis à minori hoc ceto: Tu Domine liberabis à corruptione vitam meam. Oratio Davidis contra Angelum prævaluit, ut ex tribus diebus fierent tantum 6. horæ, vide licet à manè ad tempus prandii. Theodoreum accipe: quia oratio occurrit Angelo percutienti, ideo tenuit manum ejus, nè ultra progrederetur. Mirum est illud effatum S. Ambrosii l. 3. de fide, quod DEUS tantum orationi deserat, ut potius aliquid Majestatis suæ detrahatur. Mater filiorum Zebedæi rogat filios suos ad prima subsellia promoveri, quod cum inconveniens esset, quid Christus? negat id in sua esse potestate? miror! nonne Pater omnia ei dedit in manus? dedit omnino sed eâ lege, ut distributiva servetur justitia, contra quam ageret, si ad sinistram, alterum collocaret. nè itaque exprobrari illi posset, quod in exaudiendo fuisse difficilis, cessit hoc jure in ordine ad hunc aëtum. Audiamus melleum


Tt

Do-

Doctorem: *Maluit DEus videri se non posse quod poterat, quam orationi mulieris aliquid denegare.* Denique tam excellens est oratio, ut ipsi angelicæ musicæ DEus eam videatur præferre. ad quid enim silentium in cœlo quasi dimidiâ horâ? ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum Ap. 8. v. 4.

S. 8.
Tres selec-
tissimæ
sententiaz
& Emble-
ma.
Si ergo talis tantaque est oratio, qualem dixi, fieri non potest, ut non exaudiamur, si minus, in majoris emolumenti nostri gratiam certissimum id fieri perswasissimum habeamus. Hæreat denique animis nostris triplex illa Trismegistorum oratorum, Augustini, Bernardi & Chrysostomi sententia, quæ nos docet non ægrè ferre repulsam, si quam fusæ ad DEum preces nostræ ferunt: *non accipimus aliquando ut meliora quam petimus accipiamus.* Augustinus Serm. 27. de Verbo Domin. *Unum è duobus indubitanter sperare possumus, aut dabit quod*

petimus, aut quod noverit nobis esse utilius. S. Bernardus Ser. 5. in quadragesim. Cum DEUS aliquid nobis negat, non minus est quam si concessisset, negat enim aliquando, quia nescimus quid petamus. S. Chrysostomus homil. 5. in Genes. Sit in emblema Godefridus Bullionius, qui sagittam in turrim David ejaculatus, scopum quidem non attigit, tres autem ardeas eadem sagittâ confixit: *Non sunt tamen irrita vota.* Sagitta est oratio, cui illustris author in luce sua Evangelica epigraphen posuit: *assequitur quocunque petit.* si non assequatur, si turrim David & metam desideriorum suorum non contingat, *nunquam tamen irrita vota cadent.*



PRO-